B. N. C.
FIRENZE
1104
16

Google

1104 . 16

Digitized by Google

16

Digitized by Google

Digitized by Google

1104.16

Digitized by Google

A 1

1104 16

Digitized by Google

Digitized by Google

BI

DE PONT. OPT. MAX. BENEDICTO XIIII. EPISTOLA

HERCULIS FRANCISCI
DANDINI
COMITIS ET J. C.
ac in Patavino Gymnaſio Pandectarum Interpretis
AD JACOBUM
BASSANUM
SOCIETATIS JESU PRESBYTERUM
eximia doctrina, & ſacra eloquentia Clariſſimum.
CUM EJUSDEM RESPONSIONE.



PATAVII. CIƆIƆCCXL.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.

1104.16
1872

TYPOGRAPHUS
LECTORI BENEVOLO S.

QUÆ *ſcripta ſunt a viris religione, doctrina, prudentia præſtantibus, ea ne pereant, typographia & inventa eſt, & adhibetur. Hujus generis eſſe duo monumenta judicata ſunt, quæ hic apud nos verſari cœperunt in manibus litteratorum hominum proximis ſuperioribus diebus; Epiſtolæ Latino ſermone ſcriptæ de laudibus Pontificis Optimi Maximi* BENEDICTI XIV. *quæ multa cum voluptate legebantur, & expetebantur. Non igitur male meritum fore me de re litteraria, ſum arbitratus, ſi caviſſem ope mea typo-*

graphiæ, ne ſcripto tantum editæ paucis exemplis exſtarent, & perire facile poſſent. Ad hæc; in iis quæ ſcripto fierent, harum litterarum exemplis, menda plura irreperent, quod & cottidie evenire compertum eſt, & ſemper eveniſſe declarant Veteres Codices Mſſ. qui doctis Viris tam grande negotium faceſſunt. Porro ea typorum forma ſum uſus, quæ argumenti majeſtatem non dedeceret. Quare nihil eſt, optime Lector, quin omnia hæc a me geſta æqui bonique facias, & mihi, ac typographiæ meæ favere pergas. Vale.

HERCULES FRANCISCUS
DANDINUS
JACOBO BASSANO
Societatis JESU Presbytero
S. P. D.

Memini, Baſſane doctiſſime, cum altero ab hinc anno Patavium reverſus eſſes Bononia, in qua Urbe ſolemnium tempore jejuniorum ſacri Oratoris munus tanta cum laudatione omnium ordinum obieras; atque ad te officii cauſſa Joannes Baptiſta Morgagnus noſter religione, moribus ornatiſſimus; humanitate ſuaviſſimus; in Anatome, quam ſcientiam omnium inſtrumento doctrinarum, omniſque eruditionis, locupletavit, facile princeps; & ſimul ego; veniſſemus, te in eo totum fuiſſe in primis,

ut Prosperi Cardinalis Lambertini ejus Urbis Archiepiſcopi ſtudium Eccleſiaſticæ ſanctioris diſciplinæ, magnas levandæ pauperum familiarum inopiæ, occultaſque largitiones, curam, ſollicitudinem æternæ felicitatis populo ſibi credito procurandæ, ceteraſque præcellentes virtutes cum ſingulari doctrina, cujus laudabiliſſima exſtarent typis edita monumenta, conjunctas, ſummis præconiis extolleres. Cui Viro te præter modum etiam debere diceres, quod in litteris quibuſdam ſuis ad totius Societatis tuæ Moderatorem ſcriptis eum de te teſtimonium dediſſet, quo nullum ſplendidius eſſe, ac honorificentius, neque ex ejus, qui dediſſet, amplitudine, neque ex verborum formulis, quibus eſſet uſus, potuiſſet. Extorquere tandem a verecundia tua nobis datum eſt, ut earum legendarum copiam faceres: omnino, ut nihil eſt quod non merearis; ita nihil quod optari poſſit honorificentius: quid non teſtatur de ſana Theologia, qua uteris? de hauſta e puriſſimis fontibus Patrum, & Conciliorum doctrina? de ſublimi ſimul & Eccleſiaſtico genere eloquentiæ,

& ad

& ad parandam animis æternam felicitatem maxime accommodato ? de præcipuo & ſingulari quodam litteratiſſimorum Virorum, quibus Bononia refertiſſima eſt, ad te audiendum concurſu ? Sibi, quamvis occupatiſſimo, tamen nullum prorſus diem, quin ad te audiendum accederet, elabi paſſum fuiſſe: Si quis vel te ſacri munere oratoris interdixiſſet, vel impediiſſet, ne conciones iſtius generis abs te habitas typis emitteres, habere ſe illum cum divinæ gloriæ, tum decoris, honoriſque Societatis tuæ, atque adeo Italiæ totius inimicum. Virtutes igitur ſummi hujuſce Viri prædicabas cum admirabili conjunctas humanitate: qua in re nos facile ſocios habuiſti, quibus tantarum ſplendor virtutum ignotus eſſe non poterat; ac Morgagnum quidem addentem præterea, ſe quoque illius benignitatem expertum eſſe, atque ita, ut nihil excogitari poſſet humanius: me, quod Romæ diu commoratus Virum præſens ita ſpectaram ac ſuſpexeram, ut qui Catholicæ Eccleſiæ maxima commoda, decuſque ingens eſſet allaturus: quo tempore, & poſteaquam ſum digreſſus ex Urbe Roma illum

item humaniſſimum in me ſemper habui. En optatiſſimus aliquando dies illuxit, quo ipſum Catholicæ Eccleſiæ Caput, ac Moderatorem nacti ſumus. Enimvero, ſi re ipſa id unquam evidens, & conſpicuum fuit, quo mentes noſtras quadam tacita præceptione imbuit Religio, cui & naturalis ratio reſpondet, præcipuo quodam Divini Spiritus inſtinctu atque afflatu creari Pontificem Maximum, qui Petri Apoſtolorum Principis in locum ſufficitur; hoc potiſſimum tempore ita factum eſt, ut rei geſtæ veritatem ipſis, quaſi dixerim, uſurpare oculis videamur. Nam diuturna quidem præter morem hac ætate Patrum Ampliſſimorum Comitia ſi humana cogitatione dimetiamur, negotium oſtendunt fuiſſe multis difficultatibus circumſeptum, quod explicari non facile poſſet; quoniam, ut in Maniliana Tullius ait prudentiſſime, in magna præſtantium Virorum copia difficilis ad unum aliquem deligendum ſit oportet deliberatio; ſed ſi mentis oculos ad divina convertamus, intelligemus, majus quiddam in cauſſa fuiſſe, quam quod humanæ cogitationes ſuis fretæ viribus queant ſuſpicari. Etenim

ſæpe

ſæpe Deus cum quid ab eo poſtulatur, quod & ipſius etiam voluntati conſentaneum ſit, & petitione digniſſimum, tamen haud concedit illico, & donum differt in aliud tempus eo conſilio, quemadmodum a Divo Auguſtino adnotatum eſt, ut in piis precationibus dum verſantur homines diu ac aſſidue, ad eaſque adhibent animorum demiſſionem, cogitationem divinæ bonitatis, & religionis, ac pietatis officia potiora, digni magis evadant, in quos id, quod petunt, a Dei beneficentia conferatur. Quid? quod Eccleſiæ ſuæ, quam uti ſponſam lectiſſimam habet, in ipſa orandi aſſiduitate, quod & rerum divinarum interpretes docent, & te non fugit, Baſſane, diuturno ac peramanti quaſi quodam alloquio delectatur Deus? Sed neque hoc etiam alienum ab eo amore, quo Eccleſiam proſequitur, fuiſſe dixerimus, ut maximo illam & ſummi pretii dono cumulaturus, ejus flagrantiora ſemper in dies optaret vota, ut reſpondentem doni magnitudinem magis intelligeret, ſapientiſſime ſecum reputans, Deum ſui amantiſſimum eam in mœrore verſari tandiu permiſſurum non fuiſſe, niſi

do-

donum paraſſet, quod diuturnum mœrorem copia bonorum omnium longe ſuperaret; quippe qui neque finita poteſtate præditus eſt, neque finita via & ratione munificus. Quamobrem, quod ſapientiſſima ſit, En, ait, votorum meorum tuli fructum ampliſſimum; en lacrymarum ſolatium jucundiſſimum; en quo ſpectavit diuturnitas comitiorum, ut Deum ſæpius atque adeo fidentius alloquerer, & Patrem, ac Moderatorem ab ejus infinita poteſtate, ac in me benevolentia conſequerer, quem mihi præterea cognitæ jamdudum ipſius virtutes fecerant optatiſſimum. Eccleſiæ vocem ſibi præter modum gratulantis hanc audire mihi videor. Vocem habet Eccleſia, quæ communi lætitia fidelis populi explicatur: atque hujus in ore perſonent iſthæc, neceſſe eſt, quod pateant, quod ſplendidiſſima ſint, delatum eſſe miro quodam Patrum Ampliſſimorum conſenſu Pontificatum Maximum Prospero Lambertino Cardinali, & Archiepiſcopo & Patritio Bononienſi, in quo ſanguinis, doctrinæ, morum claritudo maxima eluceat; in quo formando natura, religio, optimæ diſciplinæ quid poſſent, expertæ fuiſ-

fuiſſe plane videantur. Sint oportet, quibus a prima adoleſcentia cognitus, qui eum laudent ſummopere, quod ſe vehementiſſime ad omnes partes virtutum adquirendarum excitaverit; laudent inſtitutum jam inde ab ea ætate inter ſtudia rerum ſacrarum vitæ curſum, ad quem acre ac perſpicax ingenium attulerit a natura; induſtriam, diligentiam, aſſiduitatem adjunxerit, ab optima voluntate, ſingularem: quæ omnia morum candore, humanitate, comitate illuſtriora & laudabiliora multo reddiderit; laudent ſcientiam, qua cito præſtare cœpit, Pontificii, ac Civilis juris; eruditionem quaſi condimentum elegans & ad ſententias ornandas opportunum, & ad Pontificiam vel Civilem juriſprudentiam illuſtrandam perneceſſarium; facundiam in diſceptando, judicium in ſecernendo, æquitatem in ſtatuendo. Quæ omnia, quoad privatam egit vitam, in eo ita claruerunt, ut perſpicue ſatis, in publico vitæ genere quis quantuſque futurus eſſet, indicarent. Sint etiam, neceſſe eſt, qui animum advertant ad eorum, quos geſſit, Magiſtratuum conditionem, atque naturam, nedum

ad

ad ipſius, quibus maxime in iis gerendis excelluit, integritatem, ſtudium, prudentiam. Præfuit iis diſceptationibus primo, quæ inſtitui ſolent in Eccleſia Catholica de Virorum illorum geſtis, qui cum inter mortales verſarentur, vitam cœleſtibus dignam egiſſe proponuntur; atque ideo meriti, ut in Album Sanctorum a Pontifice Maximo referantur: quid hoc rei eſt? quorſum pertinuit hujus adminiſtratio Magiſtratus? recte ſecum homines reputabunt: Eventus nihil parit, ſed quod futurum erat, ignotumque nobis, detegit, atque commonſtrat: Hoc officium ad ea ſpectat in primis, quæ partium ſunt Pontificis Maximi; quare ob hanc celſam in Eccleſia dignitatem ei conferendam divina Providentia non modo in hoc munere ipſum videtur collocaſſe, verum etiam eidem injeciſſe mentem, ut harum argumenta diſceptationum & cognoſcenda ſuſciperet præter ceteros, & commentariis poſtea ſuis docte, erudite, copioſe pertractaret, ac typis, tanto cum doctorum Virorum plauſu, in lucem ederet; quo ſe peritiſſimum jam prius oſtenderet earum rerum, quarum in

Pon-

Pontificatu Maximo præceptorem ac ducem eſſemus feliciter habituri. Bone Deus! Permulti egregii ſane Viri in Ampliſſimum Cardinalium Ordinem cooptantur, qui tamen a Secretis antea non fuere Summi illius Magiſtratus, qui Patrum Concilii Tridentini Interpretum appellatur. Hic vero Noſter eſſe debuit, nec paucis annis: Hæc erat nimirum alia ſcientia Pontificis Maximi propria, tam ſancti, tam divini Concilii mentem pernoſcere, atque oracula ipſius, ſi quid obſcurum perplexumque ſit, patefacere: Cum hoc in ſtudio nemo verſatur magis, quam qui a Secretis eſt hujus Magiſtratus; tum in eo Hic noſter ita ſe geſſit, ut ipſum omnes agnoſcerent illius ſanctiſſimi juris adminiſtrum longe peritiſſimum, cujus & Cuſtodem in præſens & Magiſtrum veneramur. Antiſtitis etiam officium ne in Pontificatu Maximo ſuſcipiendo novum ei accideret, non ſine ſingulari quodam divinæ Providentiæ nutu factum licet intelligere, ut in Epiſcopi, mox in Archiepiſcopi munere ſe prius exerceret, quam Princeps omnium Antiſtitum crearetur: quemadmodum enim in diſciplina militari

litari poſita primum tyrocinia, multa cum laude, ab iis fuiſſe legimus, qui poſtea ſummi, & clariſſimi belli duces evaſerunt; ita hoc etiam fieri in Eccleſiaſtico cœtu, percommodum, perque utile eſt; uſus enim & conſuetudo etiam in ſacris adminiſtrandis auget rei peragendæ ſcientiam, ac facultatem. Itaque cum ea, quæ ad ſacri munus Antiſtitis pertinerent, comprehenſa belle animo haberet, ut qui Romæ ferme nihil, niſi hoc de genere, pertractaſſet, tamen plena doctrinæ, plena ſapientiæ tum demum Volumina in lucem dedit, quæ in id argumenti ſanctiſſima atque optima Paſtoribus animorum documenta præberent, cum jam ipſe uſu Paſtoralis muneris, id quod mente præceperat, experiundo probaviſſet; cum in vitiis fugandis, virtutibus acceſſendis; ſanctiori Eccleſiæ diſciplina ſarta tecta ſervanda; levandis pauperum familiarum anguſtiis, quantus quantus eſt, mente, ſtudio, liberalitate totus fuiſſet; cum ſenſiſſet, non cum tantum legiſſet, quæ vis eſſet illius curæ, ac ſollicitudinis, quam boni Paſtores animorum experiuntur; lectio enim ea, quæ præclara, juſta,

lau-

laudabilia ſunt, ita docet, ut quemadmodum tamen eventibus, quos præſentes non habet ſcriptor, ea temperanda ſint, docere ſatis non poſſit: docet experientia, quæ eventibus immiſcetur. Sapienter idcirco prius actionem, deinde ſcriptionem eſt aggreſſus. An ſine divino conſilio eſt in ſacris litteris ita ſcriptum: Qui fecerit, & docuerit; non: Qui docuerit, ac fecerit? ad quem locum optimus interpres, & egregium Societatis tuæ lumen Cornelius, Diſce, inquit, rectam docendi viam, ac methodum eſſe, ſi doctor prius faciat id, quod deinde dicturus eſt: Quid? quod Chriſtus Dominus, ut ait Divus Lucas, cœpit facere, & docere? Imitandum ſuſcepit Hic noſter divinum iſtud etiam exemplum illius, cujus repræſentare apud mortales majeſtatem, poteſtatemque debebat. Cum hæc mecum reputo, quiddam Numinis, Baſſane, in hoc etiam intueor; etenim rerum ab eo geſtarum ordo is mihi ſe offert, quo nihil aptius & convenientius, nihil opportunius, & magis e re ad gerendum, qui ei nuper tributus eſt, Pontificatum Maximum videatur. Ergo fidelis Eccleſiæ

po-

populus vere dixerit, auctum modo ſapientiſſimum Cardinalem dignitate, ac poteſtate: ceterum præſidia ſecum abunde contuliſſe, quibus & ampliſſimam omnium dignitatem tueri, & ſecundam a Divina, totius Eccleſiæ moderandæ, poteſtatem explicare mirifice poſſet. Incidat aliquid, quod præſidio doctrinæ opus habeat non mediocri, non levi, ſed magno, ſed firmiſſimo? hoc ei a doctiſſimo Principe paratum eſt e veſtigio: Quod pertineat ad referendum in Album Sanctorum aliquem ſumma cum ſanctimoniæ fama ex hac mortali vita digreſſum? dabit Ipſe quidem, ut in more poſitum eſt, cum Ampliſſimis Patribus, tum aliis bene multis pietate, ac doctrina excellentibus Viris rei totius inveſtigandæ negotium: ſed hi ex ejus vel ore, vel ſcriptis rei bene, ſapienterque gerendæ haurient præcepta: Erit aliquid vitii radicitus evellendum, ſerendum virtutis? intelligetur Ipſe ad id muneris acceſſiſſe jam & ſcientia, quam libris etiam doctiſſimis complexus eſt, & uſu peritiſſimus: Juſtitiæ adminiſtratio aliquid ab eo neceſſe habebit flagitare? ſentiet Principem ac Patrem divini,

&

& humani juris conſultiſſimum, qui oraculum de re prodat, non aliena ope, ſed ſua: In Eccleſiæ beneficiurn reditus impendendi? cum ſacrarum cognitione legum; tum vero magis multo ſua permotus conſuetudine pecuniarum pias in cauſſas liberaliſſime tribuendarum, quidquid occaſio tulerit, munificentia duce, comite prudentia mirum in modum temperabit. Haſce utilitates Eccleſiæ obventuras univerſæ ab hoc certe Optimo Maximoque Pontifice, boni omnes animo cernunt. Quid vero? an maxima etiam ſibi futura commoda non jam præcipit cogitatione populus ditioni Pontificiæ ſubjectus, hoc Domino, hoc Principe? voce non effert? non magnopere ſibi geſtiens gratulatur? Nonne qui illuſtri genere ſunt, in eo ſpem tutiſſimam locent? quando iis ortus Ipſe majoribus, qui novem ab hinc ſæculis trans Alpes cis in Italiam delati, exceptique a Bononienſibus in ſuam Urbem ſane celeberrimam, & ſtatim inter Patritios cooptati jam tum eximia nobilitate præcellebant? quod hiſtoriæ monumentis proditum eſt; a qua etiam accepimus longiſſimam clariſſimorum hujus familiæ Vi-

rorum ſeriem, qui prudentia & conſilio, domi quidem in patriis primi ordinis Magiſtratibus; foris in ſacra Toga, in Præfecturis Urbium; aut in Caſtris militari gloria magnopere excelluerunt: e quibus fuit etiam qui publico decreto *Bononiæ Patriæ ſuæ Servator* appellari meruit: quorum ſi laudes perſequi velim ſingillatim, non ſolum Epiſtolæ, ſed etiam luculenti Commentarii modum excedam; unum aut alterum ſi deligere, injuſte agam, qui alios, diverſa licet via, æque meritos ſilentio prætercam. Speret ergo nobilitas, quod propenſionem ingeneret natura quandam erga eos, qui nonnulla ſimilitudine, ita dixerim, commendantur: quæ enim ſi non prorſus generis ejuſdem, tamen ſimilia ſunt, ſolent eſſe jucunda, ut ſapienter Ariſtoteles adnotavit: veruntamen ita demum ſperent nobiles viri, ſi quemadmodum Ipſe fecit, ea quæ pertinent ad cultum, atque ornatum animorum, omnibus rebus anteponenda eſſe duxerint: minime vero ſi degeneres a majoribus, ingreſſi voluptatis viam, a qua ille tam laudabiliter cavit, ſocordiæ, turpique otio ſe dederint; neque enim

nim ei Viro, qui eximium ſplendorem ſui generis non retinuit ſolum, ſed auxit quammaxime, placere unquam poterunt ii, qui gentis ſuæ nomen fœdiſſime obſcuraverint. Sed & præſidium firmiſſimum ab eodem Principe ac Patre reliqui ordines, qui ditioni Pontificiæ ſubſunt, ſibi polliceantur; favebit enim probis, prudentibus, doctiſque Viris omnibus, cujuſvis fortunæ, & conditionis tandem ii ſint. Nam qua Ille eximia religione, ac pietate excellit, proclivis erit in eos, quibus ineſſe harum virtutum non adumbratam quaſi fuco quodam, ſed expreſſam, veramque imaginem intuebitur: qua prudentia regendæ reipublicæ; in eos, qui civilem prudentiam ſibi comparaverint: qua doctrinarum copia, & ubertate; in eos qui vel gravioribus diſciplinis, vel liberalibus artibus animos exornarint ſuos: paucis dicam; in eos omnes, in quibus lucem aliquam cernet earum virtutum, quibus eſt Ipſe multo cumulatiſſimus. Conſulet afflictis Civitatibus, vel quia cum ſit Princeps, earum omnium ſe eſſe intelligit primum Civem, ac Patrem, quod a jureconſultorum accepit diſciplina;

vel quia inſtructiſſimus rerum uſu, conſilio, providentia, quæ ad optimum populorum regimen prima duci a philoſophis agnoſcit, qui hujus nobiliſſimæ quaſi artis præcepta litteris conſignarunt, inprimiſque a Platone atque Ariſtotele; vel quod Majorum ſuorum ſplendidiſſima exempla intuenti cum alii occurrunt publicæ rei bene ac ſapienter adminiſtratæ laudibus ornatiſſimi; tum ille præſertim, quem Bononia clariſſima Civitas, publico, ut dixi, decreto *Servatorem Patriæ* nominavit. Sane cum jam inde ab adoleſcentia informare animum cœpiſſet ad gloriam, non longe petenda ei doctrinæ, fortitudinis, conſtantiæ, prudentiæ fuerunt exempla: hæc, ita dixerim, nata domi; hæc intra domeſticos parietes educata ad eruditionem familiæ, ad lucem omni ejus poſteritati præferendam. Quæ illum ad imitationem excitare adoleſcentem ita potuerunt, quemadmodum Romanæ Civitatis præclaris viris eveniebat, quos dicere ſolitos ait Salluſtius in Jugurthino: *Cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi; ſcilicet non ceram illam, neque figuram* (ſcribit ipſe)

tan-

tantam vim in ſeſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtutes eorum, famam atque gloriam adæquaverit. Quanquam Hic Noſter, an immortalem Majorum ſuorum gloriam æquavit? non etiam longiſſime ſuperavit? Sibi eas virtutes adſcivit, quæ non in privata conditione ſolum præter ceteros eum extollerent, ſed etiam quæ in Principatu eum ad effigiem juſti imperii formare poſſent, aliiſque exemplo ſtatuere; & quæ non uni Civitati, non uni Provinciæ regendæ utiles modo eſſent, ſed ditionem late patentem, plurimis refertam populis, egregiiſque familiis fortunarent. Atque cum aliis quidem Pontificiæ ditionis Civitatibus communi, atque ingenti gaudio adficitur Bononia; ſed ſeorſum præterea majorem in modum geſtit ac triumphat, quæ nobiliſſimam Gentem LAMBERTINAM cum excepit plurimis ab hinc ſæculis; tum maximo ſemper honore proſecuta eſt; & quæ præſtantiſſimum primo Civem, dein Antiſtitem ac Patrem ſuum Eccleſiæ, ac Pontificiæ ditioni præbuit univerſæ; quæ denique cum in nobiliſ-

ſimis, ac celeberrimis toto Orbe Comitiis tres e ſinu ſuo profectos numeraret Purpuratos Patres, de quibus deliberatio potiſſimum, delectus habendi cauſſa ſuſcepta eſt, unum ex iis vidit ſummo Purpuratorum omnium conſenſu dignum habitum eſſe, quem Pontificem Maximum ſalutarent. Hæc Civitas tantæ lætitiæ ſuæ te participem eſſe non dubitat, Baſſane Clariſſime, cujus non minus benevolentiam erga ſe maximam, dum ſacri Oratoris munus bis terque apud illam obires, quam præſtantiſſimæ eloquentiæ robur admirata eſt; quem fert in oculis; cujus abſentis vehementer deſiderio tenetur. Nec aliter erga ſe Morgagnum noſtrum animatum exiſtimat, quem aluit ad eam ſummam doctrinæ gloriam, ad quam perveniſſe cum vidit, voluptate perfuſa eſt plane ſingulari. Ego tandem, etſi in ea Urbe verſatus nequaquam fui, quod propter ſtudiorum meorum, & vitæ rationem primo Roma diu me tenuit, nunc habet Patavium, tamen illam uti alteram ex cooptatione familiæ meæ Patriam, in qua plures mihi etiam cognationes, ita diligo, ut peculiarem ejus ob cauſſam vehe-

mens

mens quoque mihi lætitia animum inceſſerit. ſed ad me præterea quod attinet, nonne maximum gaudium inde etiam mihi ſit, quod Hic Noſter & Cardinalis & Epiſcopus animorum curam Anconæ primo ſuſceperit, qua in Urbe maternum mihi genus, ac natalis dies fuiſſet? In eo Templo Cathedram habuerit primo, Infulaſque geſtarit Epiſcopi, in quo ſalutaris aqua me recens natum expiaſſet? Nonne quam hæc pervetuſta & eximia Civitas voluptatem ſummam percipit, ejus etiam, æquum eſt, me magna ex parte potiri? Hæc ad te ſcribenda inſtitui, Baſſane, longe profecto humiliora tam ſublimis argumenti magnitudine, ſed quæ alacer ille motus animorum expreſſit, quem tale ac tantum nobis oblatum ex improviſo bonum ingeneravit; & cum tibi, ac Morgagno noſtro cenſui me rem facturum multo jucundiſſimam; tum vero pergratam aliis quoque Viris apprime doctis, quibuſcum amicitia uterque conjungimur, quique in hoc Patavino Gymnaſio, auſpiciis, providentia, imperio, liberalitate Auguſtæ Immortaliſque Reipublicæ Venetæ, ac Ampliſſimorum Rei Littera-

riæ Triumvirûm, celeberrimo, cum alias diſciplinas, tum Pontificii, ac veteris Romani juris doctrinam profitentur: atque hi facultati gratulantur ſuæ, quod in ſummo gradu, inque animo ac mente iſtius Pontificis Maximi regnantem intuentur, ac tanto quidem felicius, quam cum olim vetuſtiorum Quiritum ætate apud Collegium Pontificum ſedem fixerat, quantum præſtat, jus eſſe nunc eorum ſuperſtitionibus defæcatum. Vale, Vir Clariſſime, & ſi nihil eſt, præter argumentum in hac epiſtola quod probes, voluntatem tamen, & conatum certe meum te non improbaturum confido. Patavii, Nonis Septembribus CIƆ. IƆCC. XL.

J A-

Digitized by Google

JACOBUS ANTONIUS BASSANUS

Presbyter e Societate Jesu

HERCULI FRANCISCO DANDINO

Comiti

S. P. D.

QUas proximis ſuperioribus diebus miſiſti litteras, Hercules Franciſce Dandine Comes, quanto mihi fuerint jucundiſſimæ, is duntaxat percipere poſſet, qui admirationis, obſervantiæ, voluntatis, grati animi, ſummique ac prope incredibilis cultus mei erga Benedictum XIV. P. O. M. ideam creare ſibi bene lucidam planeque diſtinctam cogitatione aut intelligentia valeret. Verum, quia præter me nemo eſt quiſquam ad id præſtandum idoneus; pro-

pterea

Digitized by Google

pterea quantum tibi hac de cauſſa debeam, vix uni forſitan licebit mihi vel penitus animo ſentire, vel μέχρι τινος immortalium gratiarum actione declarare. Ita enim comparatum eſt natura, ut quæ permotiones mentium noſtrarum ſunt vehementiſſimæ, eædem ſint non alteris tantum, ſed nobiſmetipſis, qua explicatu, qua etiam cognitu difficillimæ. Utcumque res ſeſe habeat, illud tibi, Dandine Clariſſime, liquido perſuadeas velim, & feciſſe te iis litteris in me perhumaniter; neque poſſe me ullius officii æqua ſignificatione tibi reſpondere. Primum enim permulta, eademque permagna, quæ de Pontifice novo explicas, quum vera, explorata, certaque ſint ad unum omnia, & meis hiſce oculis nonnulla perſpecta; næ tu eorum commemoratione, ac veluti pictura quadam, adeo me delectas & detines, ut nihil ex jucunditatibus cunctis cum hac mea eſſe conferendum videatur. Deinde, quod Antiſtitem Hunc ſummum laudas; rem exſequeris, quam egomet, ubi fuit nuncius ille fauſtiſſimus Patavium allatus, ut perficere dicendi ſcribendive imperitia minime poteram, ita gratu-

landi

landi ac plaudendi ſtudio maxime voluiſſem: quare etſi me quidem oneribus iſtiuſmodi ſubeundis pumilionem eſſe imbecillum fateri cogis, te vero quaſi robuſtiorum quemdam ſuſpicere γηγενέων, ut Homerus loquitur, ἀνδρῶν γιγάντων; attamen gratias tibi maximas, his etiam nominibus, & habeo, & ago, & niſi facultas deeſſet, libens referrem. Tum, Pontificem mihi prædicas inſperata quadam renunciatum ratione comitiorum, quæ afflantis Numinis comprobatio cenſeri debet Catholicorum animis auſpicatiſſima; Pontificem ingenioſiſſimum æque, ac litteratiſſimum, quæ ſpes maxime omnium edita, & gloria quædam habetur non inanis homini optimarum artium ac diſciplinarum amanti; Pontificem rationis, conſilii, experientiæ plenum, quæ ſanarum mentium quarumlibet mirifica eſſe fiducia ſolet, ac delectatio. Poſt, ejuſmodi colis, celebras, veneraris Eccleſiæ conſpicuæ conſpicuum Caput, quo dignius, aut melius (ut Venetorum Reipublicæ Auguſtæ, ceteriſque Regibus videri accipimus) neque mali pertimeſcere aut nolle, neque boni velle poterant aut excogitare. Poſtremo, Principem illum

apud

apud me ornas, qui civium ſuorum Archiepiſcopus dum eſſet, idemque Sacri Purpuratorum Patrum Collegii lux quædam præfulgens, me, labores meos, meaque omnia (ut probe noſti) reſpexit, juvit, honeſtavit, commendavitque inſuper, ea clementia, benignitate tanta, tantaque modo adprobatione, modo magnanimitate, ut inter æquales meos nullus, non dicam ſperare talia, ſed ne optare quidem auſus fuiſſet in omni vita. Utinam Dei O. M. bonitate, beneficentiaque illa inexhauſta fiat, ut talis ac tam præſtantis Vicarii ejus ante pedes, oſculis religioſe cultos, fructum aliquem ſtudiorum meorum, haud inutilem animis immortalibus & ſaluti eorumdem ſempiternæ, fas mihi aliquandiu ſit, homini non ingrato, ſtatuere, demittere, offerre! Utinam interea per finitimas diſſitaſque Terrarum oras alii, ſaltem pauci, reperiantur, ingenio, diſciplinis, eloquentia, tecum comparandi, Hercules ornatiſſime, quos illuc vela orationis ferant, quo tu appuliſti! Utinam paratus inveniatur unus aut alter ad ampliſſimam æternamque Hiſtoriam ſcribendam de rebus ab Sanctiſſi-

mo

mo Patre Benedicto XIV. geſtis adhuc, & diu poſthac gerendis! Utinam Bononia dignæ, dignæ Patavio, & Italia, & Urbe, certatim hac atque illac reſonent voces poëtarum nobilium, & philoſophici pulcherrimique verſus, & vocati Pindaro ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι. Habebimus felices Itali, habebunt plurimæ nationes, habebit hominum genus omne, in Benedicti XIV. effigie una atque unica, variorum monumentis conſignatum, & quaſi varia luce, aliiſque atque aliis radiis expreſſum, coloratumque, Religionis, Prudentiæ, Probitatis, Juſtitiæ multiplex exemplum verax, & numeris reipſa omnibus abſolutum. Ac ſane, quam extremo loco recenſui Juſtitiam, cum erga Deum & Superos omnes, tum erga mortalium unumquemque ſummorum atque infimorum, ut Roma ſemper, ut Ancon, ut Bononia, noſtro in hoc Hierarcha Maximo, partim geſtiere, partim coactæ ſunt admirari!

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Quæ Theognidis ἐλεγειακῶν γνωμῶν ſcite cogitateque prolata ſententia, non ſolum Viris doctis quibuſque, ſed verendis item doctiſſimiſque Ec-

cle-

cleſiæ Patribus quum apprime probetur; verarum laudum quam lato mari velificantur, quicumque de Benedicto XIV. aggrediuntur ad eloquendum! Deus O. M. incolumem illum, ſoſpitem, beatum, Sacerdotio ac Regno florentem diutiſſime ſervet ad Eccleſiæ univerſæ tutelam, amplitudinem, felicitatem. Quod reliquum eſt, Dandine Inclyte, ſiquando perilluſtris Cathedra tua, & Scholæ ſinant multo eruditiſſimæ, ſimilia tu quidem iis quæ ſcripſiſti ad me, ne omittas digniores ad amicos perſcribere: acumen ingenii tui, doctrinæ varietatem, rerum ſententiarumque copiam, ad hæc delectum & collocationem verborum mirabuntur, credo, plerique omnes; religionem eximiam, quæ ita ex lucubrationibus tuis, quemadmodum e vita & moribus uſquequaque emicat, nemo homo mirabitur, qui modo ſciat, tibi, & collegarum tuorum primoribus, florentiſſimi ordinis iſtius veſtri luminibus ipſis, religione eadem, Romana, orthodoxa, cæleſti, carius nihil, nihil fuiſſe umquam, nec eſſe antiquius, neque eſſe poſſe: reſponſi vero hujus mei qualiſcumque vitia, atque errata, ſiqua ſint, ut

com-

complura erunt , pro amicitia noſtra , ſive pro humanitate tua potius, excuſata velis . Vale.

Patavii. XVI. Kal. Octobr.
CIↃ. IↃCC. XL.

Digitized by Google



PATAVII. CIƆ IƆCC XL.

APUD JOSEPHUM COMINUM.

1104, 16
2

33 960351

Digitized by Google

XXXIII

1104.16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google